

A. D.
SPECIMEN ACADEMICUM
DE
NECESSITATE JUSTÆ ME-
DICAMENTORUM COM-
POSITIONIS,

QUOD
EX SPECIALI VENIA ILLUSTRISS. ACAD. AB.
CANCELLARII,
APPROB. EXP. FAC. MED.

Ventilandum sinit

JOHANNES FREDRICUS
WALLENIUS,

Med. Licent. Phil. Mag. & Aman. Cons. Acad. Stip. Ekeftubb.

RESPONDENTE

JACOBO JOHANNE HAARTMAN,

Ostrobotnienfi,

In AUDITORIO MAJORI die XVI. Decemb. A. MDCCLXXXVI.

Horis ante & post meridiem confvetis.

-- quæ non profunt singula, multa juvant.

OVIDIUS.

ABO Æ, Typis FRENCKELLIANIS.

78 


S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
NOSOCOMIORUM REGNI DIRECTORI GENERALI,
PROFESSORI CHIRURGICÆ REGIO,
AD LEGIONEM VEX. EQU. CHIRURGO PRIMARIO,
REGII ORDINIS DE WASA EQUITI AURATO,
ACAD. SCIENT. STOCKH. AC CHIR. PARIS. NEC NON
SOCIET. REG. SCIENT. GÖTTING. MEMBRO,
NOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DOMINO DOCTORI
OLAO AB ACREL,

*Ob innumera & summa in se studioque sua, merita,
tenue hoc opusculum venerabunda & gratissima mente
sacratum voluit, debuit,*

ILLUSTRIS NOMINIS

cultor devotissimus,

J. F. WALLENIUS.



Negandum non est, ipsam naturam, cum simplicissima semper sit, nobis demum vix completa & convenientia plane auxilia suppeditare posse, ubi morborum causæ maxime compositæ apprehenduntur.

POERNER.

Præfatio.

Communem in eo Medicinæ cum reliquis artibus atque Scientiis omnibus fuisse fortem, ut variis temporum intervallis varia & valde diversa subierit fata, neminem, qui vel primoribus, ut ajunt labris ejus historiam degustaverit, fugere potest. Tenuibus orta initiis simplicem & valde rudem omnique scientiæ cultu destitutam habuit infantiam, observationi & eventui fortuito omne suum debens incrementum. Hoc in statu admodum quoque simplicia & pauca fuisse auxilia, quæ amissæ sanitatis restituendæ gratia adhibebantur, eo majori cum veritatis specie statuere licet, quo magis id & ipsi rei indoli & Auctorum (a) effatis est consentaneum. Sequentibus autem temporibus magis sensim magisque a prima simplicitate deflectebat, pluraque in usum trahi cœperunt remedia, quorum paullatim invaluerunt compositiones numerosissimæ, ineptæ haud raro & absônæ, ex immensa simplicium farragine varie a variis conflatae (b).

Sed non permittit instituti ratio, ut fati Artis Pharmaceuticæ enarrandis immoremur. Monuisse sufficiat, compositionum quidem medicamentorum usum a multis jam retro temporibus

A

(a) V. g. SENECAE Epist. 95. (b) Exempli loco nominasse sufficiat Mithridatium, Theriacam &c. quorum antiquas formulas vide apud CELSUM (L. V. C. 23) & GALENUM (de ant. idotis L. I. & II)



poribus fuisse receptissimum; non defuisse tamen ullo unquam ævo viros, qui Simplicium reclamarint jura, eaque compositis prætulerint, vulgatarum mixtionum taxantes luxuriam ceteraque vitia. Ut pauca e multis adferamus exempla, horum in numerum referendi sunt ERASISTRATUS, SCRIBONIUS LARGUS, C. PLINIUS Secundus, ALSAHARAVIUS, ARNOLDUS de VILLA NOVA, *Henr. Corn.* AGRIPPA, TABERNÆMONTANUS, *Rob.* BOYLE, *Franc.* REDI, *Corn.* van BONTEKOE, *Ant.* de HEYDE; RIVINUS, RAMAZZINUS, aliique, in primis recentiores fere omnes. Sed neque eos penitus desideres, qui omnem damnarint pharmacorum compositionem, ut fecit WIRDIGIUS (e).

In hac igitur sententiarum varietate inutile non duximus specimen edituri Academicum, quasdam de *necessitate justæ* (d) *medicamentorum compositionis* in chartam conjicere cogitationes. In cujus tamen tractationis limine significabimus, id nobis agendum non esse, ut regulas in hocce negotio observandas tradamus (e). Offendere tantum volumus, Simplicia non adeo semper exacte fini intento sufficere, quin meliorem & ple-

(e) *Medicina Spirituum Lib. II. p. 141. -- 146.* Idem (de Galenicis saltem medicamentis) sensit HELMONTIUS, ut hæc ejus testantur verba: *Credo simplicia in sua simplicitate esse sufficientia pro sanatione omnium morborum* (WIRDIG, l. c. p. 144.) Nescio an His anumerandus etiam sit *Joh. DEVAUX*, qui in libro, quem inscripsit *le Médecin de soi-même* Leid. 1682. simplices esse morbos simpliciaque postulare auxilia asserit, malamque causam ingeniose orare ab HALLERO (*Bibl. Med. Pract. T. III. p. 522.*) dicitur. (d) Neque enim heic operosam quandam, affectatam, inutilem & intempestivam, sed paream, limatam, concisam, & sita dicere liceat, simplicem componendi rationem innuimus aut defendendam suscepimus. (e) Qui has cupit adumbratas, adeat scriptores hæc de materia celebres *Cl. NICOLAI*, *GAUBIUM*, *BALDINGERUM*, *SCHULZIUM* & ejus recentissimum, quantum scio est

pleniorē a compositis subinde sperare liceat effectum (f). Quod jam opus b. c. D. aggressi, B. L. quo par est verborum honore rogamus, ut juveniles hosce nostros conatus in meliorem interpretentur partem, non quæ præstiterimus sed quæ præstare voluerimus spectantes. Quæ quidem (licet novi quidquam aut inauditi non contineant) si non omnino displicuisse intellexerimus, alia forte occasione maturiora a nobis poterunt expectari.

§. 1.

Et primo quidem in eo se exerit compositionis pharmaceuticæ utilitas, quod ejus ope facile adservari possint Simplicia, quæ alia ratione aut plane non, aut non satis bene aut non satis diu vires suas retinent, quod quidem ansam dedit parandis Conservis, Syrupis, Elæosaccharis cæt. Sic Cochlearia, Nasturtium aquaticum, Acetosella aliæque plantæ, quæ siccitatē haud levem patiuntur virium jacturam, in Conservis optime servantur. Eodem quoque fine ipsis Compositis alia subinde admisceri videmus additamenta; sic acetis Extractisque aquosis spiritum Vini rectificatum, & Syrupis e succis paratis Mel superaddi jubet Regium quod Holmiæ floret Collegium Medicum. (a).

§. 2.

Medicamenta quædam, tam interna quam externa ejus esse

A 2

opus PICHLERUM &c. (f) *Simplicium* autem nomine cum CONRINGIO (Introd. in art. Med. C. VIII §. I. p. 257 sq.) omnia illa indigitata volumus sanitatis recuperandæ auxilia, quæcumque sine ulla artificis ope sola natura produxit. Quæ itaque ultra mechanicam quandam encheiresin se extendunt præparaciones, ne pro Simplicibus amplius haberi queant prohibent; quamvis nec medicamina per Chemicam analysin e pharmacis elicita Compositorum nomine velimus appellata. (a) In Pharmacopœa Svecica.

esse indolis novimus, ut per se adhiberi nequeant, vel ob dosin justo majorem minoremve, vel ob tenacitatem comminui recusantem, vel ob indisolubilem qualitatem aliasve rationes similes. Quemadmodum enim venena & Heroica quædam remedia, ob insignem, qua pollent efficaciam, in minutissima quantitate præscribi solent, ideoque quo & facilius & tutius in doses distribui ægrisque propinari queant, aliorum e. g. Sacchari admixtione dilatari, quod in Strammonii, Hyoscyami & Aconiti extractis, in Emeticis refracta dosi datis &c. observari cernimus; ita loco Simplicium, quorum in substantia justo major foret dosis nauseam facile creatura, Extracta, Tincturas aliaque præparata ex iis confecta, quæ sub minori mole eundem & subinde etjam melior in præstant effectum, potius sunt exhibenda. Camphoram addito vini spiritu facilius in pulverem redigi res est notissima (a). Nec quemquam in hi. ce rebus versatum latet, Gummata Arabicum & Tragacanthæ eandem in pulpa Colocynthidis comminuenda vim exierere. Corpora resinosa & pingvia, in ventriculo alias ægre solubilia e. g. Balsama nativa, Ceram aliaque ejusmodi, quin immo Hydrargyrum, mucilaginum aut ovorum vitelli ope in aqua subigi possunt eaque ratione commodissime propinantur. Nec desunt exempla medicamentorum, quæ per se adhibita vi omni destituuntur, sed aliorum connubio juncta utilissima evadunt; Sic nulla certe foret virtus Mercurii vivi antisiphilitica, nisi vel unguenti, vel Mixturæ vel Salis metallici sub forma adhiberetur.

§. 3.

Quantum sæpe intersit Medici, ut ægrorum, qui suæ se curæ commiserunt, palato & naribus, ubi id salva remedii

vi

(a) Pulveri tamen Julapium præfert Cl. MILLAR, quod ille in ventriculo diutius sine effectu hospitetur.

vi fieri potest, blandiri & famulari conetur, probe norunt illi, qui Salutari arti exercendæ sua consecrarunt studia: cui quidem necessitati egregie etiam subvenit medicamentorum compositio. Hoc consilio in Pharmacopolia introducti fuerunt Syrupi, Confectiones, Condita aliaque ejus generis præparata; & in extemporaneis formulis eundem quoque scopum præfixum sibi tenent Medici. Sic aquam aurantii, saporis non minus quam odoris gratia Mixturis & Potionibus addunt; fætidis olea destillata fragrantia adjiciunt aut in forma Pilulari Auri argenteive foliis obvoluta eadem præscribunt (*a*); nauseosum Sennæ saporem Scrophulariæ aquaticæ foliis (*b*) Citrivi succo aut Tamarindorum pulpa corrigunt, Scillæ vero, Mercurii sublimati & Extracti Tabacini Cinamomo & ejus aqua; Aloës amaritiam bile admixta imminuunt (*c*) & Peruvianum Corticem Cinamomo (*d*) Amygdalivæ amaris (*e*) ejusdemque Infusum Syrupo Amygdalino (ad exemplum Emulsionis Kinkinæ Ph. Sv.) sapidius reddunt. Quod si obtineri simul queat, ut grato quodam colore imbuatur pharmacum assumendum, dubium non est, quin tanto magis ægro arrideat, tantoque libentius ab eo adhibeatur. Cumque præterea, propter tædium a diutius continuato unius ejusdemque remedii usu ortum, mutanda subinde sit formula antea usitata, ne omnem ægrotus aversetur medicinam, facile patet novum hinc

A 3

emer-

(*a*) Feminis autem, quæ Moschi odorem tolerare nequeunt, cum fætidis junctum eundem præbere jubet Cl. NICOLAI, vid. Pharmac. ration. a. Cl. PIDERIT edita p. 268. (*b*) MARCHANT in Mem. de l' Acad. des Sciences de Paris 1701. p. 275. & BOERHAAVE in Hist. plant. hort. Lugd. B. P. I. p. 316. (*c*) Vid. Diff. Cel. HAARTMAN Ideam sistens Pharmacopœæ reformatæ Upf. 1754. p. 14. (*d*) Svadente Cl. PERCIVAL in Essays medical and experimental Vol. I. p. 109. qui Corticem hac ratione digestu faciliorem reddi asserit (*e*) Syafu Nobil. v. ROSENSTEIN in libro vere aureo om Barns Sjukdomar p. 135.

emergere, idque evidentissimum pro demonstranda compositionis utilitate argumentum.

§. 4.

Quartum compositionis pharmaceuticæ commodum in eo ponimus, quod noxiæ aut fini intento contrariæ Simplicium quorundam qualitates ejus ope tolli queant & corrigi. Sexcentis hoc, si opus foret demonstrare exemplis facile esset; nos autem nonnulla tantum feligemus, quæ asserti nostri veritatem abunde ob oculos ponunt. Malignos Cantharidum in urinarias maxime vias effectus Camphora optime pacari primus docuit Cl. GROENEVELT (*a*), indeque originem traxit consuetudo hanc iis aut interne adhibendis aut externe applicandis jungendi (*b*); similique ratione Mucilaginem Gummi Arabici ad internum usum iis adjecerunt Cl. SUTTCLIFF & HOME. Dolorem a Veficatoriis aut Septicis cuti admotis nimis molestum, admixto Opio imminuere feliciter tentarunt Cl. UNZER (*c*), GUIOT, HECQUET, & qui primo loco nomi-

(*a*) De Cantharidum in medicina usu interno p. 32. (*b*) Cl. BURTON Kinkinam cum Cantharidibus admixta Camphora in Tussi convulsiva exhibuit; & Edinburgenses eandem cum Copaive Balsamo Tincturæ Cantharidum ad internum usum associant. Veficatoriis quoque Camphoram addunt AASKOW (A&S. Soc. Med. Havn. Vol. I. p. 156) QUARIN (Comment. de cur. Febris & Inflam. p. 279) & Auctores Dispensatorii Brunsvicensis (p. 240). Laudatum autem QUARIN in eo errasse, quod stimulum Emplastri sic augeri existimet, experimenta Cl. FORSTEN ad oculum demonstrant, in quibus Camphoram Cantharidibus ad anaticas partes mixtam vim harum vesicantem ita infregisse observavit, ut cutem nullo modo afficerent (vid Diss. ejus Lugduni B. habita, Cantharidum historiam naturalem, Chemicam & medicam exhibens p. 40) Usus Tincturæ Cantharidum cum camphora copulata & externe infriatæ ad revocanda Exanthemata repulsa fufus docet Cl. HIRSCHEL (Briefe über versch. Gegenst. d. Arzneywiss. 3r Theil). (*c*) Hamburg. Magazin IX Bandes 5r Theil No 4.

minandus fuisset, III. AB ACREL (*d*). Vis Aloës calefaciens acidis vegetabilibus enervatur, quemadmodum in Extracto ejus aceto (*e*) aut Succo Citri (*f*) parato cernitur; & veri omnino videtur simile, eadem quoque ratione obtundi posse narcotico ab usu Strammonii & Hyoscyami alias oriundam. Idem in Opio tentarunt Pharmacopœarum Parisiensis & Würtembergicæ Auctores, illi vino Gallico hî Citri succo in Extracto ejus conficiendo usi, quod tamen Celeb. MURRAY (*g*) non probatur. Corrigendo autem opio aptius censent alii sulphur antimonii auratum (*h*), quod sic & ipsum emetica virtute privari existimant. Qui in Hæmorrhagis uteri, gravidas & parturientes adortis ad spasmos sedandos Opiata adhibent Cl. AASKOW (*i*) & GARTSHORE (*k*), acido vitrioli nupta præbent, ut refrenetur vis eorum rarefaciens atque exæstians. Tincturam Thebaicam in Inflammatione oculorum a Cl. WARE commendatam, cum Melle Rosarum conjungendam esse docet Cl. HUNCZOWSKY (*l*), cum dolor a Tinctura sola excitetur. Ptyalismum a Mercurialium usu metuendum Camphora prævertunt Cl. MAUFLATRE, QUERENET, RAULIN & CRANZ, hanc iis tam ad internum quam externum usum admiscendo; Opio autem MELLIN & Anglorum phures, quibus adspulatur Cel. TISSOT (*m*); Purgantibus & Diaphoreticis alii. Nec parum ad mitigandam Mercurii sublimati vehementiam Sal Tartari conducere obser-

va-

(*d*) Chirurg. Vorfälle T. 2. p. 445. (cfr. Cel. MURRAY Appar. Medicam. Vol. II. p. 281.) (*e*) Vid. Cl. POERNER Delin. Pharmac. Chémico-Therapeutica p. 190. (*f*) Ad tenorem Pharmacopœæ svecicæ. (*g*) Lib. cit. p. 291. 292. (*h*) Vid. Diss. Cel. HAARTMAN citata p. 14. (*i*) L. c. p. 51. fqq. (*k*) Diss. de Papav. usu in partur. p. 36. (*l*) Beobacht. über die Spitäler Wien 1783. (*m*) De Variolis, Apopl. & Hydrope p. 15. Idem quoque nobis in propria qualicunque praxi licuit experiri.

varunt Cl. HALFORT & WALL (*n*). Vim Scillæ debilitantem & ventriculo inimicam aromaticis & acribus additis tollit Ill. v. ROSENSTEIN (*o*), Nitro autem Cel. HOFFMAN, ASTRUC, WAGNER & LANGE (*p*), Cortice peruviano Cel. MURRAY (*q*) Tartaro & Alkali vegetabili vitriolato Cl. LANGHANS, nec non Opio Cl. BLOCH (*r*) Ubi autem acrimonia sua dolores & Convulsivos motus excitat, Camphoram cum fructu admiscuerunt Ill. v. HALLER & TISSOT (*s*). Saponum egregias esse virtutes in Calculo & Arthritide domanda, pariter ac in referendis Viscerum obstructionibus nemo ignorat; cum autem a diuturniori eorumusu haud parum gravetur ventriculus, amaris atque Tonicis e. g. Gentianæ & Taraxaci Extractis sunt temperandi. Nitrum in morbis pectoris inflammatoriis & Hæmoptysi mucilaginosi obvolvare oportet, ne Tussim excitet (*t*). Rarefaciens & nauseosa Camphoræ virtus Aceti ope optime tollitur, nec sua laude defraudanda est ejus cum Nitro permittio, cujus ope dosin Camphoræ usque ad drachmas binas per nycthemeron sine noxa se auxisse narrat Anonymus quidam Anglus (*u*). Refina Jalappæ cum Saponaceis aut Emulsi vis terenda est, ut Tormi-
na

(*n*) Practical Essays Lond 1773. (*o*) Om B. Sjukd. p. 245. Eodem quoque sine Ptisanam Juniperi laudat TISSOT l. c. p. 211. (*p*) Vid. LANGHANS v. den Krankh. des Hofes u. d. Weltleute 1770, & Journal de Medec. T. XXXIX. p. 47. (*q*) Libr. cit. Vol. I. p. 574. (*r*) Medicinische Bemerkungen Berlin 1774. Vim autem Opii calidam & sputa sistentem, in Tussi Phthisicorum a Catarrho faucium & Tracheæ exorta, Scillæ vicissim ope emendavit Cl. CLERCK (vid. PRINGLE Beobacht. über die Krankh. einer Armée 1754. p. 182.) (*s*) L. c. p. 207. (*t*) Si recte se habet observatio Cl. BROCKLESBY pariter ac Jll. v. SWIETEN in Comment. T. V. p. 679. vim Nitri refrigerantem ultra solutionis tempus non durare, etiam hoc respectu utile videtur ejus cum mucilaginosi connubium, cum sic longius protrahatur solutio. (*u*) Abhandl. v. den Wirkungen des Camphers u. Calomels in anhalt. Fiebern, Aus d. Engl. 1776.

na evitentur, & Cremor Tartari in Hydrope cum Rheo jungendus, ne tonus intestinorum pereat. Althææ Radicem ad mitigandum Vitrum antimonii ceratum adhibuit Cl. ZIMMERMAN. Kinkinam, si alvum nimis solutam efficiat, cum Opio misceri jubent TORTI, WERLHOFF, CLEGHORN, SYDENHAM & alii (v), cum Conserva Rosarum BURCHAN (x), cum Cascarella aliisque subadstringentibus MURRAY; cum Gentiana rubra, autem jungit idem (y), si opilationis viscerum adit suspicio, aut si ventriculus nimis debilis Corticem digerere non valeat. Tartarum antimonialem, addito eodem Cortice, emetica sua vi adeo spoliari expertus est Ill. BAECK, ut ad 4 aut 6 usque grana quotidie posset assumi sine molestia, quod in Podagra sibi fuisse auxilio Cel. J. HAARTMAN significavit, cui idem pro solita benignitate mihi aperire placuit.

§. 5.

Ad quintum jam properamus commodum, ex medicamentorum compositione oriundum, visuri, quomodo Simpliciora remedia per novam admixtionem in actione sua vel adjuventur vel acuuntur; qua quidem in re scitum atque prudentem menstruorum delectum primas tenere partes facile perspicitur. Talia enim eligantur necesse est menstrua, qualia remedii cujusvis indoles & finis intentus exposcat, & quæ in eundem cum hocce effectum conspirent, rejectis iis, quæ aut contraria agunt ratione, aut vires in medicamine quæsitæ imminuunt (a). Sed cum aliis quoque additamentis memoratus finis queat ob-

B tine-

(v) Cfr. ulterius MURRAY loco proxime citato. (x) Domesticæ medicine p. 199. (y) l. c. nec. non Vol. II. p. 15. (a) Quo magis inculta hæc adhuc jacet doctrina, eo majorem Cl. POERNER sibi promeruit laudem, qui in libro supra citato fuscè eandem pertractavit, additis novis formulis plurimis a se excogitatis, dignis omnino, quæ experientia ulterius confirmantur.



timeri, ex utroque genere nonnulla depromere juvabit exempla illustriora.

Menthae crispae aqua vel Syrupus vim Mixturae Salinae antiemeticae auget; Pulegii aqua commodum praebet constituens & adjuvans pro Mixturis antispasmodicis, & Infusum aut Aqua Ulmariae remedium expellentium & sudoriferorum efficaciam promovet. Oxymel Scilliticum, Tartaro antimonialem acutum spuma tenacia & vitiosa facilius solvit & movet. Vim emollientem Micæ panis cum Lacte coctæ Crocus intendit. Specierum resolventium virtus addito Vini Spiritu, aceto, Vino rubro aut Camphora insigniter increfcit, simili ratione ac Oxycratum, Nitri & salis ammoniaci accessu in fomentatione frigida Cl. SCHMUCKER, novas lucratur vires. Laxantium & Emeticorum vim auget Calx antimonii (b), ut in pulvere Cornachini. Etiam parva Emetici dosis Purganti addita hoc existimulat, quo nomine praecipue inserviant Antimonialia ad ductum Cel. TISSOT (c). Aromaticis quoque & subacribus, e. g. Iridis florentinae aut Ari radice Purgantia seigniora possunt exacti (quod in primis in Tympanitide ventriculi & intestinorum evadit proficuum), pariter ac Salibus mediis. Vini Rhei atvum ducendi infillata Olei Cinamomi guttula egregie adauget & Tormina simul praevertit. Electuario Lenitivo, ubi tenacior est primarum viarum faburra, Mannam adjungere expedit, & Oleum Amygdalinum, ubi viae sunt lubricandae, commodum praebet adjuvans. Antispasmodica Opiatorum virtus Succini Saje, Castoreo (d) et Moicho (e) intenditur, nec inutile inven-

(b) HAARTMAN I. c. TRILLER Dispens. pharmaceut. univ. T. II. (c) Ipecacuanham cum Rheo mixtam extollunt ALBRECHT, NAVIER, STOERCK (cfr. MURRAY I. c. Vol. I. p. 534. 535). & BALDINGER (v. den Krankh. einer Armée 1765 p. 44. 24. 313). (d) WHYTTS Pract. Schriften p. 503. (e) Teites sunt HILLARY & HUCK (vid MURRAY I. c. Vol. II. p. 268).

venit Cl. HALLET (*f*) hujus cum Camphora & Assa foetida connubium. Remedia antiparalytica perbene acuit Tinctura Cantharidum. Decoctum purificans Ph. paup. Sv. quod ab YVONE GAUKES nomen habet, Decocto Lignorum simplici esse efficacius, syadent Observationes Cl. REDI, MEAD (*g*) & HUNDERTMARCK (*h*) de vi aquæ mercurialis anthelminthica, pariter ac Cl. de MURALTO (*i*), qui Decocto antimonii Quartanam a se fuisse curatam affirmat. Kinkinæ martialia utiliter junxerunt MANGOLD (*k*), WINTRINGHAM (*l*), STOLL (*m*) & QUARIN (*n*). Ipecacuanham cum Opio in Dyfenteris & Diarrhoeis etiam colliquativis cum fructu fuisse adhibitam, a Cl. PRINGLE, BROCKLESBY, MONRO (*o*) & LUND (*p*) memoratum est. Scillam cum Hydrargyro mixtam Liureticis fortissimis annumerat Cl. GREGORY. Oleum olearum, cum spiritu Salis ammoniaci stimulatam, Abdomini Hydropicorum inunxisse profuit Cl. DESGERAUD, qui oleum hocce solum antea frustra adhibuerat, eademque medicina, Linimenti volatilis nomine cognita egregiam possidet resolvendi facultatem. Quæ huic analogæ est Cl. YOUNG compositio ex oleo quodam expresso & Cornu Cervi Spiritu conflata, summas ab Ill. PRINGLE (*q*), in Angina potissimum

B 2 ade-

(*f*) Gentlemans Magazine 1753 p. 404. sqq. (*g*) Medic. Erinnerungen und Lehren p. 198. (*h*) Libro de Mercurii in Corpus hum. summa vi p. 73. (*i*) Eph. N. C. Dec. 2. An. 8. Obs. 7. (*k*) In suppurationibus gravioribus; vid. Opuscula ejus Medico-Phys. p. 146. (*l*) In Febribus intermittibus frequenter recidivis, ad Cachexiam vel Hydropem pronis, Corticem cum chalybe & aromate quodam optimos præstitisse effectus memorat in Notationibus ad R. MEAD Mon. & præcepta Medica p. 26. 27. (*m*) Rat. medendi T. II. p. 299. ubi se Kinkinæ & Salis ammoniaci martialis ope Febres intermittentes autumnales Cortici soli non cedentes expugnasse narrat. (*n*) L. c. p. 170. (*o*) Vid. MURRAY l. c. Vol. I. p. 535. (*p*) WICKMAN diss. de Viola Ipecacuanha Upsl, 1774, p. II. (*q*) L. c. p. 159.



adepta est laudes. Eundem in doloribus & Pseudophlogisticis malis mitigandis, ab externo Lumbricorum aut Camphorati olei usu observare licet effectum (r). Clysmata, ubi validiori opus est revulsione, addito Sale communi solent exacui, in cujus locum substitui etiam poterit Tartarus antimonialis (f).

§. 6.

In aliis vero casibus ex compositione Simpliciorum remediorum utilem virium conjunctionem oriri deprehendimus, qua efficitur, ut juncta agant opera pluribusque simul indicationibus satisfaciant. Sic Demulcentia & Oleosa cum Subadstringentibus in Aphthis & Dyfenteria utiliter junguntur. Detergentia balsamicis & antiputredinosi addita in Ulceribus profunt. Laxantia cum alkalinis & absorbentibus copulantur, ubi primæ viæ laborant acido. Conserva Acetofellæ, cum Cochleariæ Conserva aut Seminibus mixta egregium præbet Antiscorbuticum, cui insuper addi potest Canella alba aut simile quid aliud, ad robur ventriculo conciliandum. Hæc Sali ammoniaco nupta in Febribus intermittentibus vernalibus egregii est usus. Incrassantia in Tussi Catarrhali Incidentibus & subacris (e. g. Iride florentina, Extracto Myrrhæ aut Sale Benzoës) mixta præstantiora evadunt, quemadmodum syrupus de Eryfimo LOBELII, Syrupus Hyssopi ZWELFERI aliaque ejus generis præparata testantur. Spiritus Cochleariæ per se nimis calidus, cum acidis vitrioli & Tartari destillato optime temperatur, et utilissimam in scorbuto ac putridis morbis &c. largitur medicinam, cui ab inventore impositum est nomen Spiritus antiscorbutici DRAWITZII. Succus Citri cum oleo aliquo expresso propinatus Colica Nephritica aut Stranguria laborantibus bene opitulatur. Martis Limatura cum aromati-

bus

(r) Cfr. Diff. Cl. SCHULZ de Camphora cum oleo expresso juncta Upf. 1758. (/) Svadente Cl. PIDERIT in Pharmacia rationali p. 334.



bus aut Extractis amaris commode jungitur. Cataplasma e Conio & Dauici pulpa in Cancro commendarunt Cl. GIBSON & NICHOLSON, idemque cum Sale Saturni & Arsenico in aceto soluto junctum adhibuit Cl. LE FEBURE (a). Mel depuratum cum Tartaro tartarifato Melancholicis & Maniacis profuisse vidit Cl. MUZEL (b); cum Sale autem Anglico in hydropo utile evadit, in primis si cum scilla exhibeatur. Oxymel simplex cum Lini oleo combinatum summam in Pleuritide & Peripneumonia meretur laudem. Idem oleum cum aceto vini Gallico ob vim antiputredinosam & lubricantem in Dysenteria proficuum invenerunt Cel. BERGIUS (c) & EKMARK (d). Kinkinanæ Camphora mixtam in Gangræna & Ulceribus putridis commendat Cl. GMELIN, qua formula etiam interne usi sunt Cl. COTHENIUS, CRANZ (e) & AEPLI (f). Corticis in Gangræna tollenda efficaciam Nitro fuisse auctam memorat Cl. KIRKLANDES (g), quod etiam Cl. SCHMUCKER (h) se probavit remedium. Cum Sale ammoniacò eundem Corticem interne & externe in Febris intermittenibus atque Gangræna extollunt Cl. MUYS, GMELIN (i) BALDINGER (k) & SCHMUCKER (l). In defectu virium Cardiaca Kinkinæ cum fructu adjunxerunt PRINGLE (m), KIRKLANDES

B 3

(n)

(a) Remede éprouvé pour guérir le Cancer p. 13. (b) Parum vel nihil ab hacce medicina abludit Emulsio Salina Ph. Sv. in ejus igitur locum commode poterit substitui. Neque minus efficax in referendis Viscerum obstructionibus invenies Decoctum a Cl. DE HAËN (Rat. med. T. XI. Sect. I.) laudatum, e Taraxaci & Graminis radicibus cum Oxymelle & Sale polychresto. (c) Veckofkr. för Läkare och Naturf. 7 Bandet p. 56-61. (d) Ibid. 6. B. p. 221. (e) Vid. BALDINGER l. c. p. 275. (f) Abhandl. v. dem börsartigen Fieber 1775. (g) Abh. v. den Brandschäden p. 88. 100. 101. (h) Chir. Wahrnehm. 2r Theil p. 511. fqq. (i) Samml. v. Beobacht. aus d. Naturkunde u. Arzneygel. Vr Band. (k) L. c. p. 195. (l) L. c. (m) L. c. p. 302, ubi Serpentariæ Virginianæ cum Cortice laudat eomnubium. Idem in pertinacissimis quoque intermittentibus Febris egregie juvisse vidit Cl. LYSONS (Practical Essays 1772).

(*n*) & CLEGHORN (*o*); In malis Scrophulosis Conium eidem admiscuit Ill. STOERCK. Cum Rheo aut salibus mediis etiam vulgo copulari solet in Intermittentibus putridisve Febribus, ubi usus ejus, antequam primæ viæ fordibus sunt liberatæ necessarius judicatur, aut ubi alvus a Cortice solo quantum opus est non solvitur. Quod si autem Diarrhœa superveniat, Opiata ei admisceri posse in §. antecedenti monuimus, eandemque medicinam in Intermittentibus, in primis a Pathemate ortis utilem invenerunt Cl. QUARIN (*p*) & SCHÄRTLICH, in Dysenteria putrida FOREMAN & MONRO, in Tussi convulsiva præcipue Typica SELLE, in Tetano a vulnere profecto PLENCK (*q*), & in ulceribus BROMFIELD. In putridis Febribus & Hydrope graviore (*r*), nec non ad colliquativos & Hæcticos sudores moderandos (*s*) optatum Cortex cum acidis mineralibus nuptus præstat effectum. Eundem cum Cantharidibus exhibitum in Tussi convulsiva laudant Cl. BURTON, SUTCLIFF & LETTSOM, addito insuper Paregorico, quæ quidem medicina in iis quoque casibus, ubi frustra datus fuit Cortex aut Cantharides iolæ, ex voto successit. Etiam Alumen cum Rheo Kinkinæ, in Fluore albo benigno protracto se optato eventu junxisse præstatetur Cl. LENTIN, idemque in indurationibus Hepatis Rheum Conio & Tartaro Tartarifato mixtum cum fructu propinavit (*t*). Extractum Aconiti Mercurio in Venereis malis utiliter adjici expertus est Cl. STÖLLER (*u*). Calomel cum Sulphure antimonii aurato Pulve.

(*n*) L. c. p. 118. (*o*) Libro on the Diseases of Minorca p. 194. (*p*) L. c. p. 173. (*q*) Beobacht. über einige Gegenst. d. Wundarzn. 2r Theil. (*r*) TISSOT l. c. p. 185. (*s*) QUARIN p. 47. Etiam in nimio mensum fluxu cum dispositione corporis calida Kinkinam cum Elixirio vitrioli junctam commendat WINTRINGHAM l. c. p. 208. (*t*) Beobacht. einiger Krankheiten p. 155. sqq. 95: 96. (*u*) Beobacht. aus d. Innern u. äußern Heilkunst, Gotha 1777.



verem sic dictum PLUMERII constituit, qui utrique horum seorsim sumto virtute est superior, cujusque usum multiplicem in venereis & a lymphæ impuritate ortis morbis promeritis extulit encomiis Cl. WERLHOFF. Electuarium Lenitivum floribus sulphuris junctum Hæmorrhoidariis proficuum invenerunt Angli; cui ulterius phlogoseos temperandæ gratia addi potest Nitrum. In Aethere vitriolato Terebinthinæ spiritu mixto eximiam pro Calculis biliaris solvendis se reperisse medicinam referunt Cl. DURANDE & MARET (v). Aquam Calcis vivæ cum Millefolio, Aniso stellato & Cortice Ligni Saffiras digestam, posteaque edulcoratam, egregias in Febribus lentis Hecticis humorumque colliquatione possidere virtutes, in se ipso & aliis pluries expertus est Cel. J. HAARTMAN, Præceptor omni honoris cultu jugiter nominandus. E Salium mediorum cum amaris & martialibus connubio efficacia oriuntur Anthelminthica, quemadmodum ex Tonicis & Aperientibus optima componi possunt Elixiria visceralia.

§. 7.

Quam ultimo loco ponimus compositionis pharmaceuticæ utilitas, in eo consistit, quod Simplicium remediorum qualitatem interdum plane immutet, novasque, in iisdem antea non reperiundas producat vires. Id autem quemadmodum in acidis dulcificatis, in Saponibus, in Alkali ammoniaco succinato, in Spongia cerata aliisque ejusmodi compositis medicamentis, ita in Salibus potissimum mediis evidentissime cernitur, quæ ex principiis sibi invicem plane contrariis (a) confla-

(v) Vid. Nouveaux Memoires de l'Acad. de Dijon 1782, & Journal de Medecine T. XLI, p. 340. sqq.

(a) Iniquum igitur foret omnem damnare contrariorum compositionem. Sicuti enim in exemplo supra allato ex acidis & alkalinis commixtis efficacissima oriuntur remedia; ita in Opii quoque cum

Nata novas, easque utilissimas vires fortiuntur. Exempla vix opus erit afferre, cum non possint non cuius esse notissima; silentio tamen prætereunda non est nova Cl. WÖLTGE medicina, quam ad Tartari Tartarificati similitudinem ex Alkali ammoniaco & Tartari acido composuit, Maniacis atque Melancholicis proficuum (b). Etiam in Doveriano pulvere apprimè elucet, quantum ad novas generandas vires conducit compositio pharmaceutica; in quo nimirum ita se invicem temperant Opium & Ipecacuanhæ radix, ut facultate eorum sopiente & emetica sublata, in dosi consuetam longe superante innoxie queant porrigi & diaphoresin solummodo moveant.

§. 2.

Finem opusculo imposituri non abs re fore iudicamus, paucis de ipsa Simplicium remedium composita indole monuisse. Nominè enim hæc potius quam re sunt Simplicia, ut in exemplis

Laxantibus connubio præsentaneum contra gravissimos & maxime periculosos morbos, Colicam Saturninam atque Spasmodicam & ileum, nec non Obstructiones alvi pertinacillimas Herniamque incarceratam, reperiri auxilium, Celeberrimorum Medicorum experientia est confirmatum, Eandem quoque medicinam in Dysenteria, ad Spasmos & acrem Intestinorum saburram eliminandam adhibuerunt Cl. YOUNG & LORENZ (vid. hujus de morbis deterioris notæ An. 1757--1762 libellus), pariter ac in Hydrope *πρωκτιμοτατος* ille SYDENHAM (de Podagra & Hydrope Lond. 1683). Etiam Menthæ Infusum & Syrapum Tartaro antimoniæ in Tussi ferina adungere svasse non nemo (Berlinsche Sammlung T. II.), quo sic in initio tantum per emesin agat. Optime igitur Nob. A BIERKÉN: *Varia*, inquit, *licet non absolute contraria sæpenumero præscribere & miscere debet Medicus prudens: Conjungit mucilaginosam cum amaris, purgantia cum adstringentibus & anodynis, alcalina cum acidis, nervina cum stupefacientibus.* (Thes. Medicæ Ups. 1757. Th. 7.) Cfr. ulterius quæ de contrariorum compositione habet Cl. BALDINGER in libri cit. Edit. 2, p. 73. (b) Diss. contin. Obs. Medicarum Fasciculum Gött, 1783.



plis pluribus facile est visu. Sic Consolidæ majoris & Ipecacuanhæ radices, Salicariæ Herba & Ulmi cortex mucilaginosam cum adstringente junctam fovent qualitatem. Sapor radicis Senegæ amaro-acris & simul subacidus eandem valde diversis componi principiis aperte satis indicat. In Fructibus acido-dulcibus e. g. Passulis & Pomis, pariter ac Liquiritiæ & Polypodii radicibus, Stipitibus Dulcamaræ, Melle, Saccharo & Gummi-resinosis omnibus manifesta quoque cernitur compositio, quod de acidulis & Thermis etiam valet. Nec aliud quid innuunt tentamina Cl. SCHEELE, quibus constitit in fructibus horæis & baccis plura diversæ indolis acida vegetabilia varie inter se invicem mixta inveniri, & in Rheo aliisque multis radicibus corticibusque Terram calcaream Acetofellæ acido junctam hospitari (a). Salia quoque essentialia, quæ e diversis plantis diversa eduxerunt Cl. MARGGRAF, GEOFFROY, BOULDUC & WIEGLEB, eandem ulterius confirmant sententiam. Quæ quidem omnia abunde testantur, Simplicium medicaminum compositionem naturæ legibus minime esse adversam, sed utilem potius & laude omnino dignissimam.

(a) Vid Wetenk. Aead. nya Handl, T, V, p. 180, sqq. nec non T, VI, p. 17--28 & 171, 172.

S. D. G.



THESES BOTANICÆ.

TH. I. Motus in plantis sic dictis sensitivis observatus irritabilitatem arguit, non sensationem.

TH. II. Naturam nunquam saltus facere, sed aucta sensim affinitate dissimilia inter se invicem conjungere, plurima in omnibus ejus regnis obvia testantur exempla. Quemadmodum enim ex animalium tribu Insecta, Juli & Scolopendræ nomine cognita cum Nereide verme haud obscuram prædunt similitudinem; ita in Vegetabilium quoque cohorte Arbores cum Herbis propius nectunt Frutices, Siliquosas cum Siliiculosis Bunias, Gymnospermas Didynamix cum Angiospermis Præfium, Syngenesiam cum Classibus in quibus distinctas Stamina observatur Solanum, & Papilionaceas cum regularibus Trigonella.

TH. III. Algis radicem, folium & caudicem in unum esse minus recte pronuntiavit Ill. A LINNÉ, ut Jungermanniarum in primis patet exemplo.

TH. IV. Haud levi se commendat utilitate Cl. GOUAN & RETZII consilium, characteres Generum in regno vegetabili habituales adornandi; quocirca etiam optandum est, ut iisdem ulterius perficiendis pro virili incumbant Botanici.

TH. V. Quamvis negandum non sit, Systemata rerum naturalium eo fore meliora, quo magis ad naturæ ipsius ducum fuerint constructa, & conveniens cuicunque tam generi quam speciei locus assignatus; non ideo tamen fas erit eorum culpam molimina, qui summum non attigerunt perfectionis gradum, cum in agnoscendis saltem incognitis naturæ subjectis egregium hæc præbeant adjumentum, & mancum Systema nulli præferre nemo dubitare possit sanus.

TH. VI. Inique igitur Systematibus artificialibus vitio vertit Ill. BUFFON, quod Naturæ vestigia in iis ubique pressa non sint, præsertim cum sub Ordinibus & generibus maxime naturalibus, plures sæpe militant species, qualitatibus & viribus instructæ a se invicem plane diversis e. g. Solanum tuberosum & Momordica Elaterium.

TH. VII. Omni quidem non destituitur fundamento consilium Cl. KOELREUTER, ad citiorem ligni proventum obtinendum connubium instituendi arborum diversæ speciei, cum plantas hybridas breviori quam parentes, e quibus prognatæ fuerunt, ad incrementum tempore opus habere observaverit; negari tamen nequit, eidem exsequendo (si vel maxime concederetur eandem fore ligni sic producti bonitatem, quod valde omnino dubium est) difficultates obstare vix superandas,

